



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit eleemosyna hominis Christiani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

mur sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius seculi cognouit. Tertio, humilitas facit maiorem in regno cælorum, id est, in Ecclesia præsentis. Mat. 18. interrogant discipuli, quis sit maior in regno cælorum: & aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum &c. ideo qui fuerit humilior in terris, hic maior erit in cælo. Quarto, humilium orationem Deus libenter exaudit. Vnde Iudith. 9. Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. & Psal. 101. Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. vltimò humiles saluantur, & nullus superbus ingreditur cælum. Psalm. 33. Humiles Spiritu saluabit, & Matthei quinto. Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.

CAPVT IIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Eleemosyna hominis Christiani.*
2. *Quomodo dandi vel eroganda.*
3. *Quid mereantur coram DEO.*

Primo, Eleemosyna græcè, latinè misericordia dicitur: & est aliud nihil Eleemosyna, nisi iuuare pauperem: & non dicitur solum de portione panis, quæ datur mēdicis antè fores, sed de omnibus beneficijs & bonis operibus erga proximum: sic remissio offensæ dicitur Eleemosyna. Luc. 6. Remittite & date, & remittetur & dabitur vobis: Dare igitur & remittere, sunt duo opera misericordiæ. Hoc opus prædicat scriptura inter alia opera exteriora vt potissimum. Sic Christus Mat. 9. Euntes discite quid sit, Misericordiã volo, & non sacrificium, Osee 6. Nec oratio, nec munus altaris Deo placet, nisi reconcilia-

to fratre: idèd antè orationem iubet remittere, Mar.
 11. Sic opus elemosynæ non placet, nisi priùs sit mi-
 sericordia facta cum fratre, neq; ieiunium. idèd To-
 bias 4. docuit filium suum, inquit: Ex substantia
 tua, non ex rapina fac elemosynam, & noli auerte-
 re faciem tuam ab vlllo paupere, ita enim fiet, vt nec
 à te auertatur facies Domini: quomodo potueris, ita
 esto misericors. Si multum tibi fuerit, dabis abun-
 danter, &cæ. Diues igitur & quicumque à quo peti-
 tur, tria debet considerare: primò, quis petat: dein-
 dè, pro quo petat: tertio, ad quid petat. Primò quis
 petat, nempè Deus petit per hominem mendicum:
 nam mendicus non propter se, sed propter Deū tepe-
 tit sunt enim pauperes quasi media vel instrumenta,
 per quæ Deus rogat: & quicquid illi feceris vel mi-
 nimo, ipsi fecisti, Matthæi 25. Quod vni ex minimis
 meis fecistis, &cæ. Nos quotidie petimus & roga-
 mus ipsum, vt adueniat nobis regnum suum, & pa-
 nem quotidianum nobis det, sed petit pauper pro-
 pter Deum à te elemosynam, panem, potum, vestè:
 quòd si pauperi quasi Deo ipsi negauerimus miseri-
 cordiam vel elemosynam, nec ipse nobis dabit re-
 gnum cœlorum, aut ea quæ petimus. Vndè Salomò:
 Qui obturat aures suas ad clamorem pauperum, cla-
 mabit ipse & non exaudietur. & Dauid, Beatus ho-
 qui intelligit super egenum &c. Deindè, quid petat
 Deus per pauperem, an nostra vel sua petat, petit v-
 tique sua, nam vt Psalmista inquit, Domini est ter-
 ra, & omnis plenitudo eius. tu enim seruus es & di-
 spensator bonorum Dei. Vndè Dauid 1. Paralip 29.
 Tua sunt Domine omnia, & quæ de tua manu accepti-
 mus, dedimus tibi. Quicumque ergo abundat & cra-
 pulatur, nec dat elemosynam &c. duplex habebit
 iudicium, Lucæ 12. Seruus sciens voluntatem Domi-
 ni sui &c. Tertio, ponderare debet diues, ad quid pe-
 tit Deus per pauperem, non ad dandum, sed mutuã-
 dum.

Plak 23.

dum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et hæc est optima sceneratio, & propterea condēnatur seruus piger, qui talentum Domini in terram fodit, Matth. 25. De hac eleemosyna & misericordia loquitur Deus per Esa. 58. dicens vt pauperibus benefaciant, dent cibum esurientibus, nudis vestitum, &c. hæc opera potius vult, quàm illorum ieiunium & castigationem corporis, quòd ad lites & contentionem faciebant &c.

Secundò, Matth. 6. docet Christus modum & formam, quomodo fiat eleemosyna, & inquit: Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere antè te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorentur ab hominib. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te ergo dante eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextra tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. His verbis primo corrigit Christus eleemosynam hypocritarum, non opus in se, sed ostentationem, quia propter homines fecerunt, & deindè docet nos deponere illam ostentationem, vt non propter honorem, fauorem, laudem hominum bona opera faciamus, nec propter nostrum commodum & meritum, sed simpliciter propter Deum, sine omni ambitione, aut propriæ gloriæ ac meriti venatione. Sic Paulus loquitur Rom. 13. Qui tribuit, ille tribuat in simplicitate, id est, sine omni iactantia, & ne quis querat suum honorem, fauorem, gratiam, & meritum ab hominibus, nec respiciat ad homines, an gratus sit, nec ne: sed liberè tribuat quod dare vult. Sic Deus quotidie tribuit solem, pluuiam, non respiciens an grati vel ingrati simus, hæc vocatur simplex intentio. Sed talis eleemosyna simplex propter Deum non reperitur in mundo. omnes quærunt laudem, fauorem hominum & magnum meritum, &c. vult enim Deus ppter semetipsum honorari, non ppter dona,